



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Qualis causa morborum sit peccatum originale?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Psal. 102. 3.

& multum misericors. Respondet igitur 3. S. Chryostomus, non dubitasse Apostolos, an cæcus ille, antè quàm natus esset, in patre nostro Adamo peccauerit, sed dubitasse, an propter peccatum originale, in quo natus erat, vel actuale parentum cæcus natus esset? cùm propter parentum peccata, filij sæpe & morbosi nascantur, & verò etiam moriantur, vt Dauidi accidit. Idque duobus modis accidit, nimirum vel naturâ, quando parentum morbi peccando contracti, in filios transferuntur: vel potius quando diuina id efficiente prouidentia, parentes in filijs, id est, in re omnium charissima plectuntur, juxta illud: *Ego sum Dominus Zelotes visitans iniquitates patrum in filios, usque ad tertiam & quartam generationem.*

Exod. 20. 5.

V.

Tametsi igitur & cæcus in peccato conceptus fuerit, quem admodum ceteri mortales, & parentes illius utique sæpe peccauerint (quod Christus non negauit, quando dixit: *Neq; hic peccauit, neq; parentes eius*) nihilominus tamen nullum eorum peccatum causa fuit, vt cæcus nasceretur. Vult itaque Christus, neque originale cæci, neque actualia parentum eius peccata causam fuisse, vt cæcitate puniretur: sed id factum esse, ob gloriam Dei, atque vt manifestarentur opera Dei in illo. Quare peccatum originale, vt in Africano, & Mileuitano Concilij definitum est, tam morborū quidem, quàm mortis causa haberi debet, sed generalis. Si enim Adam non peccasset, neque mortem, neq; morbos omnino vllos homines experirentur. Ad hanc generalem causam accedunt aliæ propriæ ac speciales causæ, inter quas peccata aut propria cuiusque, aut suorum parentum numerantur. Rogabant ergo discipuli, an cæcitas illa ex propria parentum culpa, vel ob originale peccatum cæco obuensset? quando interrogabant: *Quis peccauit? Hic, (non per proprium, sed per originale peccatum) aut parentes eius?* Quod illorum simplicitati est tribuendum. Si enim peccatum originale causa fuisset cæcitatibus, omnes alij cæci nati fuissent, qui peccatum originale habuerunt. Remouit Christus vtramque hanc causam, rotundeque affirmavit, eum idcirco tantum cæcum natum fuisse, vt à Christo miraculosè curaretur, atq; ita virtus diuina in eo eluceret: sicut & in alijs cæcis à Domino sanatis.

Quæ